



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Brixinen. Electo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

foribus vestris aliquid relaxare. Decernimus ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

SENONEN. ARCHIEPISCOPO,
Eduensi, Lingonensi, Antistodorensi,
& Nivernen. Episcopis.

Epist. 142.
Vt concordiam,
de qua epistola
precedenti, Comi-
tis heredes atque succes-
sore observare
cogant.

Vestra novit universitas qua conventio intervenerit inter dilectos filios nostros Girardum Abbatem & fratres Virziliacem. & nobilem virum P. Comitum Nivernen. atque Agnetem uxorem ipsius super obligatione procurationum quas ipse Comes à cenobio Virziliacem. in Pascha & festivitate beatae Mariæ Magdalena recipere dicebatur. Cum igitur compositionem illam ad exemplar felicitis memoriae Celestini Papæ prædecessoris nostri, qui ejus processum plenè cognovit, auctoritate apostolica duxerimus confirmandam, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, firmiterque præcipimus, quatenus si prædicti Comes & Comitissa vel heredes eorum ab illa compositione resilierint, & non observaverint eam, quemadmodum in authenticis scriptis venerabilis fratris nostri Octaviani Hostien. Episcopi, tunc apostolicæ sedis Legati, & carissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Francorum illustris, & eorumdem Comitum & Comitissæ & vestris evidentissimè continetur, vos eos auctoritate nostra suffulti ad observationem ejusdem conventionis & singillatim & communiter per excommunicationis & interdicti sententiam, sublato appellationis impedimento, cogatis. Volumus autem ut sicut vos ad hoc tenemini, ita & vestri successores ad idem in posterum teneantur. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

ARCHIPRESBYTERO
S. Andreae de Pallian.

Epist. 143.
Vt uxorem, quæ
maritus ob præ-
viam suspicionem
abjecerat, reci-
pere cogat, &
Clericum de
suo crimine
gloriantem
suspendat.
Cap. Quam sit
græve. De excep-
sibus prelatorum.

Quam sit grave crimen in Clericis gloriari cum malefecerint, & in rebus pessimis exultare, nullus sanæ mentis ignorat. Accepimus sanè (quod non sine dolore referimus) quod cum Riccius de Gerrone R. filiam suam cuidam Iohanni nomine tradiderit in uxorem, Petrus Diaconus Ecclesiæ sancti Petri, filius A. sacerdotis, non erubuit publicè profiteri se prædictam feminam carnaliter cognovisse. Vnde factum est quod prædictus vir ad propria eam remitte-

ret, cui fuerat matrimonialiter copulata. Quapropter per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus si tibi constiterit de præmissis, omni contradictione & appell. cessante præfatum Clericum ab officio & beneficio suspendere non possonas, compellens virum ut uxorem suam recipiat, eique, sicut justum est, officium exhibeat maritali. Datum ut supra IV. Idus Maij, pontificatus nostri anno primo.

BRIXINEN. ELECTO.

Si gratis factam tibi à sede apost. gratiam recepisses, nec ejus benignitate fuisses abusus, privilegium forsitan non mereris amittere, dum non abutereris concessa tibi à sede apost. potestate. Cum enim, sicut accepimus, bonæ memoriæ Celestinus Papa prædecessor noster tibi misericorditer indulgisset ut aliquandiu morareris in scholis, ut paginae divinæ vacares, beneficij hujus ingratus, & indulgentiam ipsam indecenter interpretans, secularibus legibus adhæstisti, non attendens quod secundum Apostolum nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Quia igitur abusionem tuam non possumus æquanimitè sustinere, discretionij tuæ per apostol. scripta mandamus, & distinctè præcipimus, quatenus omni mora & excusatione cessante, ad gerendam sollicitudinem Ecclesiæ tibi creditæ revertaris, aliquem bene instructum in divina pagina, per quem proficere possis, tecum, si volueris, deducturus; ne fortè, sicut in annis, ita pariter & in actibus juvenem te ostendas. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

DECANO, CANTORI,
& I. Morelli Canonico Xantonen.

Nobis, nec immeritò, ad cumulum indignationis accedit, quod multi apostolicæ sedis reverentiam minimè attendentes, in tantæ rebellionis aculeum eriguntur, quod ad receptionem eorum etiam quos nostris servitiis insistere nobisque familiariter adherere non dubitant, difficiles se ostendunt, graviterque repugnant, ut mandata apostolica eludantur. quod tanto nobis cedit ad dedecus, tantoque acrius nos commovet contra eos, quanto ignominiosius videretur, si propter remissionem ac tepiditatem nostram eorum infecta nego-

Epist. 144.

Epist. 147.
Vt Villielmū
scriptorem Pa-
pæ curent in ca-
nonicam Peda-
viciensi pacificè
ructi.